



**Miracvla Quæ Ad Invocationem Beatiss. Virginis Mariae,  
Apvd Tvngros, Camberones, Et Servios In Hannonia; ac  
Dominam Gaudiorum in Picardia vulgò Nostre Dame de  
Liesse dictam effulsere**

**Caoult, Walrand**

**Coloniae Agrippinae, 1607**

Non minus ingenti miraculo filiola aquis præfocata, vitæ restituitur voto B.  
V. piè oblata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59700)

vbi ad sacram ædiculam appulerunt, aquæ mouit & plene conualuit.

*NON MINVS INGENTI MIRACULO filiola aquis profocata, vitæ restituitur voto B. virginis piè oblata.*

## CAPVT LXV.

**A**Nno eodem quo supra Nicolaus Goretius inhabitans domum pastoris Begguinagij Montibus Hannoniæ apud se detinebat filiam Jacobi Varij, quæ die quodam, in hortum cum se reciperet, forte fortuna in fluuium trullanum est collapsa, ad aquarumque decursum illa ipsa hora solito vehementiorem procul abducta est. Ipsa autem intra fluuiales aquas permansit, donec homo quidam eam à longinquo prospiciens, quid erga filiam contigisset domesticis denunciaret: qui sine mora ad fluuium conuolantes, miseram filiam Beatæ Virgini Camberonensi deuouerunt. Illam autem ex aquis absque vlllo vitæ indicio extraxerunt, exindeque eandem igni applicuerunt: vbi complures piæ & deuotæ personæ, quæ miserando aderant spectaculo, denuò illam prædictæ B. Virgini commendarunt, quam idcirco identidem oculos aperire & ad mentem sensusque redire perceperunt, donec perfectè vita & sensibus dona-

donaretur. Postmodum ipsamet omni cum  
deuotionis affectu Camberonam venit fidei  
peregrinationis solutura, simulque B. Virgi-  
ni, cuius beneficio manebat maximè deuota,  
gratias quas poterat maximas actura.

**PVELLA QUAE SIBI IPSI VITAM**

*adimere attentabat, non minus mirabiliter  
quam misericorditer, pia virginis ope,  
contra impios suos conatus  
conseruatur.*

**CAPVT LXVI.**

**A**Nno 1521. circa finem Ianuarij, tem-  
pore quo niuium magna copia subest.  
Lentensis quaedam puella daemone tentatio-  
nibus agitata, eo processit damentiæ, vt aquis  
sibi vitam adimere vellet. Vt autem prauam  
suum exequeretur voluntatem, vespertino  
quodam tempore fontem quemdam accedit,  
seque crucis signaculo consignat: cumque B.  
Virginis Camberonensis tutelæ se ipsam cõ-  
mendasset, se in dictum fontem præcipitem  
dat, vtque facilius seipsam aquis præfocaret,  
pluries fontis ima fundamenta petit, cuius a-  
quæ funditus præaltæ non erat profundita-  
tis: semperque sibi aliquid sentire visa est, quod  
eam auocabat, simulque peruersos suos co-  
natus interrompebat. Tandem ergo cõaspi-  
ciens improbo suo conamine se operam lu-  
dere,

**L** dere,